

febrem accendit, & morbum valde exacerbatur; atque loco emolumenti plus infert detrimenti, id hoc & ipsa evacuatio suapte vi efficit, si parce & semel, vel modice adhibeatur, majus spatium omnibus vasis tribuendo, ut ea per suam diástolem & systolem concitatam, & ab hoc spatio ortam, humores omnes magna cum celeritate protrudant; & hinc febrem magis ardentem excitent; haec quae accuratissima etiam experientia confirmat.

§. 7. Nec potest aliquis depravatam talium humorum perniciosorum temperiem hoc remedio alterare. Quis tali modo humorem alterare novit? ista enim evacuatio partem tantum ei aufert, minime autem totam ejus qualitatem mutat, temperiem ejus jam dudum depravatam corrigendo.

§. 8. Neque prodesse per hanc evacuationem aegroto potest, ac si superfluum quidquam istorum humorum educeret: non enim in quantitate, sed in qualitate humorum causa horum morborum consistit. Partem igitur quandam quantitatis abstrahens, tantum & qualitatis abstrahit, non totum. Quam vero totam quantitatem evacuare nequeat; nec qualitatem igitur totam hoc remedio evacuabit, adeoque eo abutitur.